



NOVAM HYPOTHESIN,
DUPLICI VISIONIS ET ORGANO
ET MODO
DIOPTRICO
ALTERO; ALTERO
CATOPTRICO,

HOC insectis; ILLUD vero animantibus
reliquis concessisse natura videtur

D. 12. SEPT: ANNO MDCCXX.
PLACIDÆ AMICORUM VENTILATIONI


ET
ULTERIORI PARITER CURIOSORUM NATURÆ
SCRUTATORUM DISQUISITIONI
SUBMITTUNT

PRÆSES
M. PETRUS BECKER
MATH. PROF. PUBL. ET AD D. JACOBI AEDES
ECCLESIASTES.

&
RESPONDENS
JOHANNES HERMANNUS BECKER
Phil. & SS. Theol. Stud.
PRÆSIDIS EX FRATRE FILIUS.

ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliss. SENAT. Typogr.

JOHANNES HERMANNUS GEGERBERI
PETRIUS GEGERBERI
PRAESES
CENSORIS IMPERII
SECRETARII IMPERII
TERRITORII PARVITATI CIRIOGRAPHICO NATALIS
A.D. MDCXX.
PACIFICATIO INDOCHINENSIS
HOC LIBERIS PELLIT AETEO SIMILITUDINES
DIPLOMATICO
DIPLOMATO



PRÆFAMEN.



Eracissimum fuisse , & quod hodie volvitur
& quod elapsum modo est, seculum novarum
hypothesum circa admiranda naturæ phœ-
nomena , ex causis suis genuinis deducenda
atque demonstranda , nemo facile negabit.
Ex quo enim qui naturali philosophiaæ impen-
sius student intelligere cœperunt , *Se de humano genere* (ver-
ba sunt Roberti Boylii in *Praef. Tent. Physiol.*) *præclarius*
mereri non posse , quam si experimentis molierendis , & obser-
vationibus accumulandis operam serio ac sedulo intenderent ;
non errores tantum quam plurimos , ab ultima antiquitate
unanimi consensu traditos , & ad nostra usque tempora de-
scendentes , evitare , sed & veritates novas , antiquioribus
inauditas , e puto quasi eruere , & in lucem felicissime pro-
trahere potuerunt , quòd experimentalis philosophia , ad
culmen fere suum proiecta , conatibus ipsorum auram un-
diquaque secundam adspiraverit. Eluceret id ipsum ex omni-
bus Philosophiaæ naturalis partibus atque capitibus , si per
amplissimum hunc campum excurrere liceret : Verum re-
spiciamus saltem ad solam eamque jucundam pariter ac mi-
randam insectorum genesin. Nova sane sunt , & nec audi-

ta veteribus , nec credita , quæ moderni Physici indefesso studio stupendoque observationum & experimentorum apparatus subministrant. Consulat , qui voluerit , vel unicam istam generalem insectorum historiam quam solertissimus eorundem indagator *Johannes Swammerdam* Amstelod: medicinæ Doctor famigeratissimus , anno superioris seculi supra sexagesimum nono emisit in lucem , ubi mirandæ istius metamorphoseos (geneseos rectius) longe aliam exposuit rationem , quam quidem veteres sibi finixerant ; ita quidem ut monstrofa illa metamorphosis in naturalem degeneraret genesin , cum & experientia & microscopiorum usus Viro solertissimo minutissima quæque detegeret , quæ & sensum omnem humanum , & rationem adeo ipsam , fugere antea videbantur. Cumque laudatus modo Vir fideliter communicaverit publico , quæ reperisset omnia & singula , in omnibus insectorum membris & artubus , contemplatione digna ; præclara quæque incitavit ingenia , ut adhibitis microscopiis ulterius contenderent , novaque subinde alia detegerent , rimarentur , & mirarentur. Nullum enim facile animalculum , quantillum etiam esset , omisere curiosi naturæ scrutatores , quin contemplationi & examini , qvoad partes corporis singulas , subjicerent. Quæcum ita sint , mirari satis non potui , sagacissimis istis insectorum scrutatoribus , Viris & ingenio & judicio , & experimentorum usu longe præstantissimis , nil quicquam unquam subolevisse de dispari , & ab aliis animantibus diverso , visus organo & modo in animalculis istis minutioribus , quæ infecta dicimus , reperiundo. Tantum enim abest , ut de alia visus œconomia , ac quam communis omnium neotericorum fert opinio , quid quam scriptis commiserint suis , ut ne suspicionibus quidem & conjecturis ullum concederent locum ; cum tamen illa ipsa , quibus usi sunt plerique , microscopia oculos insectorum &

nu-

numero , & situ , & textura a reliquis cœterorum animantium oculis diversos longe conspicendos exhibuerint, quemadmodum scripta ipsorum micrographica abunde testantur. Digna itaque res fuit visa , circa quam conjecturas nostras, quas per aliquot jam annos volvimus , aliis sagacioribus nobis dijudicandas communicaremus , nullo moti aut novitatis aut contradicendi pruritu , sed solo veritatis studio illecti. Problema enim esto , quam lectoribus hic offerimus novam hypothesin , solidiori aliorum mentis scrutinio examinandum ulterius , ut de rei veritate tum demum constare queat liquidius , quum rationibus experimentisque illud subjecerint quibus *de meliori luto fixit pæcordia Titan.* En igitur , quam frons dissertationis promittit , Hypothesin novam , quando rationibus satis probabilibus adducti statuimus : **INSECTA NON ISTO VISUS ET ORGANO ET MODO GAUDERE** , in quem & Medici , & Physici & Optici conspirant omnes , quotquot experimentalem Philosophiam faciunt tanti , quanti quidem fieri illa debet ; sed quemadmodum oculum animantium hucusque , & recte omnino , cameræ obscuræ compararunt ophthalmographi; ita nos oculum insectorum (quæ quidem a cœteris animantibus in hoc negotio distincta cupimus) non tam cameræ obscuræ , quam speculo convexo polyhedrico comparandum ducimus ; & quemadmodum priorem visus rationem leges dioptricæ ; ita hanc nostram posteriorem leges catoptricæ declarant. Persequemur autem argumentum hoc , annuentे Divini Numinis gratia , qua fieri potest brevitate , duabus membris , quorum prius *dioptricum* , posterius *catoptricum* visionis organum & modum exponet. DEUS v. O. M. deducat nos , naturæ quoque tramite ad sui cognitionem tendentes , in omnem veritatem.

()

TRACTATIONIS MEMBRUM PRIUS

De
OCULO ANIMANTII DIO-
PTRICO.

§. I,



Ucis aut lucidorum corporum radios , objectorumque visibilium species , triplici potissimum ratione ad animantium oculos transmitti , unanimi consensu adfirmant , & reēte quidem , quotquot visionis modum exponunt . Hinc triplex videndi modus innotuit . *Directus* , cum species objectorum recto tramite , solo aere intermedio , ad oculum pertingunt , unde *Optica ; Reflexus* , cum species objectorum non recta via ad oculum tendunt , sed primum in aliud corpus opacum & speculare , id est planum & lavigatum , incident , a quo reflexi radii ad ipsum tandem deferuntur oculum , unde *Catoptria ; Refractus* , cum species objectorum non solo aere intermedio ad oculum penetrant , sed ab interjecto alio corpore pellucido , quod transeunt , infraet & declinantes quodammodo a trahite recto , oculum feriunt , unde *Dioptrica* .

§. II.

Tripliē hanc specierum visibilium ad oculum usque penetrandi viam , hypothesis haec nostra de dupli visionis & organo & modo , neutquam impugnat , sed tanquam veram atque firmam omnino admittit . Nobis enim hoc loco sermo non est de via aut tramite radiorum visibilium ad oculum , sed de ipso visionis organo , hoc est oculo , & modo , hoc est receptione radiorum , quae scilicet ratione oculus eosdem admittat ,

§. III.

(o)

S. III.

Proinde , ne cui nova hæc nostra , in hypothesi nova , loquendi ratio siet offendiculo , præmonendum merito ducimus ; *Organum visus dioptricum* nobis dici *Ein durchsichtiges offenes Auge / oder ein so zu nennendes Brillen Auge.* h. e. Oculum cuius exterior superficies , aut tunica sic dicta cornea , est pellucida , qua radios lucis & species visibiles transmittit , ut ad interiore oculi concamerationem & fundum usque penetrare , ibidemque imaginem fingere aut pingere queant ; Unde facile patescit , quis nobis sit *visionis modus dioptricus* . *Organum contra visus catoptricum* nobis dici *Ein undurchsichtiges verdicktes Auge / oder ein so zu nennen des Spiegel Auge /* h. e. oculum cuius exterior superficies , aut tunica sic dicta cornea , non est pellucida , quamvis reapse talis sit , sed opaca & tecta a parte postica (quale quid in speculis vitreis stanno obductis observamus) qua radios lucis & species visibiles ad interiore oculi concamerationem & fundum non transmittit , sed imagunculam in ipsa exteriore tunica fictam atque pictam exhibet & reflexit . Unde iterum evidens est , quis nobis sit *visionis modus catoptricus* . Quam quidem novam & inusitatam aliis loquendi rationem in hypothesi plane nova concedi nobis aut permittimus , aut pro libertate mathematicorum , majoris evidentiæ ergo , postulamus .

S. IV.

Visionis itaque *dioptricæ* , hoc in significatu acceptæ , & organum & modum primo hocce dissertationis membro exposituri lubentes fatemur : argumentum illud & perspicue satis & prolixe jamdum esse ab aliis pertractatum , & in omnibus singulisve ophthalmographorum scriptis obvium , ita quidem ut labore isthoc supercedere potuisse videamur , nisi firmiter essemus persuasi , opposita juxta se posita magis eluescere , & diversitatis ita rationem evidenter patere lectoribus . Nihil ergo hic novi molientibus , sed quod scriptum jam est prius scripturis , primo hocce membro brevioribus omnino licebit esse .

S. V.

§. V.

Sicuti ergo non datur plane animal , quod oculis omnino careat , quicquid etiam de imperfectis & testaceis dixerit Lib. I. de Histor. animal. Cap. 19 , aut de talpa dubitaverit quandam Aristoteles , & , quæ presso eundem sequitur pede Peripateticorum turba : ita binarium esse & in homine & animantibus reliquis oculorum numerum non est facile qui nesciat ; ut monstris suo adnumerare queamus jure , si vel inter homines vel animantia cetera individuum aliquod a binario isto numero recesserit , sive ad excessum , sive ad defectum . Nec moramur hic genus quoddam hominum monoculare propterea dicendum , quod unum duntat in fronte gerat oculum . Ecquis enim fabellis ipsis fidem habebet majorem , ac quam merentur , quæ de Polyphemus monoculo , aut Argo centoculo Poëtarum adferunt figura.

§. VI.

Oculos hosce , quos Sapientissimus pariter ac potentissimus rerum creatorum opifex & homini & animantibus gemellos dedit , & partium præstantia & exquisito artificii (liceat ita loqui) genere , & usus nobilitate reliquis corporis organici membris esse anteferendos , nemo crediderim inficias ibit facile , qui aut ipse intimam eorumdem constitutionem & artificiosissimam fabricam lustraverit , aut aliorum solertissimæ disquisitioni locum dederit .

§. VII.

Enim vero non est ut de situ eorundem vel figura externa addamus plura ; cum nemini nostrum non evidenter paret , providam sapientissimi creatoris manum in osseos recessus organa hæc visus præstantissima abdidisse , ita tamen ut paululum prominant inter frontis protuberantis nasique prominentias , ad temperandum moderandumque felicius umbra sua lumen illapsurum ; palpebrisque & supercilii muniisse , ad arcendum , abstergendumque quicquid lavigatissimæ eorundem superficiei esse poterat offendiculo .

§. IIX.

Gemellos hosce oculorum bulbos musculi dirigunt & qua-

qua

quaversum contorquent singulis dati sex , quorum quidem quatuor , sursum deorsum & ad utrumque latus deducentes , a situ recti dicuntur , & a motus differentia *attollens* , *deprimens* , *adducens* , & *abducens* nasum scilicet versus ; reliqui autem duo dicuntur *obliqui* item rotatores , quorum alter *superior* (trochlearis nomine quoque insignitus) oculi partem superiorem ad angulum seu *Canthum internum* , & inferiorem ad *externum* , alter autem *inferior* superiori oppositus , oculi partem superiorem versus angulum *externum* , & inferiorem ita versus *internum* trahit . Quibus tamen moralia , quæ musculis his dictis imposita sunt , nomina magis arident , nominare solent attollentem *superbum* , quoniam fastuosis oculis tollitur in altum ; deprimentem *humilem* , quod terram frequenter respiciant , qui humiles sunt animo ; adducentem *bibitorium* , eo quod bibituri scyphum intuentibus præcipue cooperetur ; abducentem *indignatorium* , quia indignantes torve respiciunt , oculum versus exteriora torquendo ; obliquos demum *amatarios* , quod amantes se mutuo oblique & furtim quasi intuentur . Confer Verheyen Anatomi . Tr . IV . c . 14 . p . 369 . sqq .

§. IX.

Pendet autem oculi globulus a nervo optico , sicut pomum a suo petiolo , qui ex convexi cerebri processibus , quos nervorum thalamos vocant anatomici , ortus , tenuissimorum capillamentorum serie ad oculum procedit , & in eundem inseritur , ita quidem ut insertionis centrum pupillæ aut e diametro obversetur , aut non ita multum abs linea medionali recedat . Hic ipse nervus opticus , ejusque tum membranulae exterior & interior , tum medullaris substantia , tunicis jam jam memorandis originem præbere fertur .

§. X.

Ad ipsas tandem oculi tunicas quando devolvimur , nolumus cuiquam item movere , aut moveri nobis , de certo earundem numero , non ignaris , quod non eadem omnes ratione tunicarum ineant numerum . Sunt enim qui tres tantum , sunt & qui 4, 5, 6, 7, 8, aut 9 , numerant , referente Verheyen l . c . p . 375 . Nos qui-

quidem missa hac vice tunica *adnata* sive *albuginea*, quæ musculos supra descriptos circumvestire videtur, missis etiam tunicis, humores oculi, vitreum scilicet & crystallinum, circumambientibus, explicabimus saltē, quas totius oculi globum constituere in confessio est apud omnes. Sunt autem istæ tres exstantiores a triplici nervi optici substantia productæ.

§. XI.

Prima harum, eaque exterior, e dura meninge propullulans, solida quidem totum ambiens oculum a parte antica, qua pellucet, *cornea*, a parte postica vero, qua opaca est, & albugine tegitur, *sclerotica*; altera proxime hanc excipiens e pia meninge producta, tota opaca, ubi foramine (quod pupillam dicere s'vevimus,) instructa cornea modo dictæ substat, *uvea* & *iris*; ubi sclerotica sub-jacet, *choroides*; tertia denique & intima, ex ipsa nervi optici medullari substantia enata, admodum tenuis molliter diffluens & sub-albida, totique choroidi subtensa, *retina* dicitur seu *amphiblestroides*.

§. XII.

Interior oculi Concameratio, a tribus modo dictis tunicis formata, tribus quoque oppletur humoribus, consistentia quidem sua inter se differentibus, cœterum ex limpidissimo sanguinis sero, exactissime clarificato, generatis. Horum extimus anteriorem oculi partem a cornea tunica ad uveam, & per pupillam ad humorem usque Crystallinum, ejusque ligamentum ciliare, replens, *aqueus* dicitur, qui corneam ad sphæracitatem suam distendit, infernitque præterea, ut iris libere mota fibrarum ope modo coactare se, modo dilatare, humorque crystallinus beneficio processuum ciliarium antrorum retrosumve deduci queat. Medius vero, gemma instar, ligamento ciliari circumseptus, tunicæque propriæ quam *araneam* nonnulli nominant, involutus, *Crystallinus* dicitur, qui valde pellucidus viscosus & consistens maxime figuram habet lentis sphæricæ (aut hyperbolicæ) anterius minus, posterius magis

coa-

convexæ. Tertius & intimus potiorem oculi cavitatem, qua parte abs retina ambitur, replens & leviter consistens, summe tamen etiam pellucidus, & vitrum fusum consistentia sua æmulatus, *vitreus* dicitur. Hic ipse crystallinum humorem in sinum suum recipit, & ad tunicas ambientes sphæricè se componit, distantiaque crystallini humoris ad tunicam retinam modo majori, modo minori conservandæ maximopere inservit.

§. XIII.

Descripto sic visionis dioptricæ organo, hoc est oculo, ad ipsam nunc visus rationem, ejus beneficio peragendam progressi, nolumus hic discutere hypothesin, quæ visionem emissione radiorum ex oculis ad objectum facta, absolvit contendit, aliasque veterum, quas peperit hæc hypothesis, opiniones, satis lubricas & nescio quas species intentionales & spirituales, aut spiritales, ut loqui amant, ferentes secum; satis habituri, quod nec Physicorum nec Opticorum modernorum facile quisquam, uno alterove exceptis, radiorum lucis in oculos modo descriptos receptionem impugnare sustineat.

§. XIV.

Visionem itaque hac potissimum ratione peragi statuimus: quando nimirum radii lucis a quolibet objecti visibilis puncto emissi sub eadem, quam in objecto habebant, modificatione ad oculum tendentes, transitu per lucidam tunicae cornæ protuberantium, humorum aqueum, pupillamque, facto, crystallinum subeunt humorem, in eodemque ad lenticularem convexitatem utrinque assurgente refracti, vitreumque porro transeuntes humorum, tandem in pariete quasi retiformis tunicae distincte ita colliguntur, ut ex eodem puncto trajecti in punctum aliquod physicum coëant, ibidemque nitidissime picti colorem quoque suum satis distincte & vivide exprimant, dum reliqui similes radii a diversis objecti punctulis prodeuentes, similiter in totidem distinctis aliis retina punctis uniuntur, ut corundem collectione sic facta

tota objecti imago cum omnibus & singulis singularium partium coloribus exquisito artificio , omnem præstantissimorum opificum operam superante , inverso licet situ pingatur.

§. XV.

Quoniam vero tunica hæc retina imaginem excipiens , ex tenuissimis nervi optici fibrillis tota est contexta , quarum subtilissima capillamenta per eandem undiquaque sunt dispersa apteque tensa & expansa , non poterit non , facta imaginis impressione , vellicatione , percussione , toti nervo optico motus communicari ad ipsum usque cerebrum , primum & genuinum nervi optici principium , continuandus , qui de præsentis obiecti indole indicium , pro diversitate ipsius diversum , ibidem excitat , quod sensationem seu perceptionem dicimus , abs ipsa demum anima non - rationali cognoscendam solum ; rationali vero (quæ soli data est homini) actu mentis reflexo dijudicandam quoque.

§. XVI.

Neque vero est quod quisquam dubitet , genuinum hunc esse visionis modum , nec alia se ratione in oculo modo descripto dioptrico habere ; Siquidem id ipsum seduli naturæ scrutatores experimentis quam plurimis tum camera obscurata , tum oculorum varii generis artificialium , imo vero oculo bovino recens effecto valvulisque fenestrarum conclavis obscurati diurno , aut lychno ardentи nocturno tempore adPLICATO evictum dederunt evidentissime ; ablatæ scilicet a postica oculi parte sclerotica & choroidis tunicae portiuncula , ut sola restaret reticularis tunica , proprium pictæ imaginæ receptaculum ; quo ipso experimento quæ intra oculi concamerationem revera contingunt , ad oculum (ut loquimur) patent , ita quidem , ut quod ratio hic dictat , sensus ipse experimento confirmet.

§. XVII.

Quæ cum ita sint , veritati omnino consentaneum esse jucicamus , quod uno omnes ore hic clamitant , multique operose demonstrant : Oculum animantium dioptricum naturalem esse quasi cameram obscuram . Sicut enim natura artis est magistra , ita

it a rs naturæ imitatrix; licet ad ipsius naturæ excellens fastigium nequaquam ascendet. Quapropter ut comparatio hæc oculi cum camera obscura artificiali eo rectius institui, & ubi convenienter, aut disconvenienter, dijudicari queat, sequentia pauca adjiciamus necesse est.

§. XIX.

Circa artificiale quidem cameram notamus; 1.) si intra eandem undiquaque obscuratam per foraminulum quoddam, objectis illuminatis obversum, radios solares excepereis, species objectorum in pariete dealbato sive expanso linteo, foramini opposito ad quamcunque distantiam subobscure & inverso quidem situ depingentur. Quod si vero 2.) foramini isti, quod pro luminis affluxu majori minoreve modo coarctari necesse est modo dilatari, lentem vitream admoveris, objectorum species non amplius ad quamcunque, sed ad certainam distantiam distinctæ satis & longe viviores, situ tamen iterum inverso, pingentur 3.) Lens isthac vitrea utrinque æqualiter convexa, si convexitas est major, minorem; si minor, majorem requirit parietis dealbati, sive lintei expansi, abs lente distantiam, ad pingendas distincte objectorum species. 4.) Lens vitrea utrinque æqualiter convexa radios lucis refractos committit ad distantiam semidiametri ferè sphæracitatis suæ; planoconvexa ad distantiam totius diametri; utrinque demum inæqualiter convexa ad distantiam inter diametrum & semidiametrum intermedium. 5.) Objecta nimis remota minorem; viciniora majorem requirunt distantiam, parietis sive lintei ad excipiendas distincte objectorum species. 6.) Radii perpendiculariter vitrum transeuntes omnium nitidissime objectum pingent; a lateribus vero transeuntes è obscurius, quo magis a centro ejusque perpendiculari recedunt, nisi parietem sive linteum ad lentis sphæracitatem debita ratione componere licuerit.

§. XIX.

Requiritur itaque 1.) Locus undiquaque clausus & obscurus, 2.) apertura quadam decenter proportionata modo amplior modo angustior. 3.) Lens radios refringens & ad punctum physicum co-

gens 4.) superficies adaptata excipiendis ad majorem minoremve distantiam radii. Et horum quidem requisitorum nullum est quod in oculo desideres. Ipsa enim oculi concameratio , tunicarum involucris efformata , locus est clausus & obscurus. Pupilla modo amplior modo vero angustior est apertura. Humor crystallinus lens est quasi utrinque inæqualiter convexa ; & tunica retinæ superficies excipiendis imagunculis destinata ; reliqua autem oculi partes supra descriptæ non tam ad ipsum esse, quam ad bene esse facere, recte quidem dicuntur.

S. XX.

Artem vero quanto h̄c intervallo natura post se relinquat dici vix poterit, cum enim 1) humana industria lenti nunc majorem nunc minorem partem ad objectum vel magis vel minus splendidum nitide pingendum obtegere , & sic aperturam dilatare , aut contrahere debeat , neque tamen exacte noverit ; Natura ad majus lumen coarctat, ad debilius ampliat pupillam exactissime quidem , sua quasi sponte , nobisque penitus ignaris , (2) cum tabulam picturas excipientem humana industria modo admovere modo removere debeat , prout objectum fuerit remotius aut propinquius ; natura ipsa ad objecti cuiuslibet distantiam aut tunicam retinam ad humorem crystallinum , aut humorem ad tunicam adducit , & iterum retroducit , prout opus est (absque omni sensibili molestia) quamdiu oculus satis est vegetus nec aut myopum aut presbytarum sentit debilitates. Cumque (3) lentem vitream objectis distinctissime pingendis semper humana industria obvertere opus habeat, ut perpendiculariter radii queant ingredi , natura non oculi tantum bulbum , musculorum ope quaquaversum nullo negocio contorquet , sed ipsam quoque tunicam retinam ad sphæracitatem crystallini humoris jam exactissime sese componentem , secum fert , & quæ sunt alia ipsius naturæ præ artificio circa hoc visionis negotium prærogativæ , brevitatis ergo hic reticendæ,

S. XXI.

Ad quem itaque modum objectorum species in camera obscura

scura artificiali pingi & exhiberi , experimenta docent : ad hunc , ut
ut sua ratione longe præstantius longeque perfectius , intra ipsam
oculi dioptrici concamerationem species objectorum pingi , & ra-
tio & sensus & experimenta evincunt . Quibus sic succincte recen-
fitis priori quidem dissertationis membro pro instituti ratione satis
fecisse nos arbitramur , sit itaque

MEMBRUM POSTE- RIUS

De oculo insectorum Catoptrico.

§. I.

Genuina hæc & solida quidem explicandæ visionis econo-
mia hypotesis , priori explicata membro , qua præstanti-
orem excogitare humani ingenii acies vix poterat , ita o-
mnium occupavit animos , omnium satisfecit aviditati sciendi , o-
mnium explevit desiderium , ut quod in homine brutisque reli-
quis avibus & ipsis etiam piscibus ita prorsus evenire aut depre-
henderent , aut facili conjectura adsequerentur , ad omnia pro-
miscue & singula animantium genera adipicarent , & in hac sola
hypothesi adquiescentes , de alia visionis ratione ne suspicarentur
quidem .

§. II.

Jam vero non isthæc animum nostrum invasit rabies , ut hanc
ipsam visus rationem impugnemus in animantibus , quæ provida
potentissimi Numinis sapientia organis visum exercentibus instru-
xit , eo , quem supra delineavimus , modo formatis : sed illud sal-
tem evincemus membro hoc posteriori : descriptam modo oculo-
rum fabricam animantibus in universum omnibus nec accommo-
dari , nec visionis ita rationem eodem omnibus modo peragi posse .

§. III.

§. III.

Ex quo enim animalculorum & in aëre volitantium , & in terris reptantium , & in aquis natantium (quæ insecta communis nomine adpellamus speciebus suis infinites quidem diversa) particulas , oculorum nostrorum aciem nudam fugientes fere , & ita aut plane non aut difficulter cōspiciendas , ope microscopiorum exactissime elaboratorum examinare & penitus introspicere licuit , dici vix poterit , quam stupenda partium singularum organizatio , & admirabilis membrorum structura , humanæ industriae vires , o quantum excedens , fit manifestata , ut animus pie isthac contemplatus , & ad sapientissimi conditoris gloriam depraedicandam omnia referens , merito stupescat attonitus & admiratione captus exclamat : *O quanta est domine operum tuorum præstantia ! quam inveniarabilis omnium multitudo .* Quodlibet enim vel levissimum abjecti alioquin animalculi , pulicis , dico , pediculi , eruce , apis , musce , crabronis & similium organum sapientissimi potentissimi & benignissimi Numinis arguit existentiam .

§. IV.

Sed instituti memores mittimus alia , & de solis hac vice insectorum oculis acturi , phenomena recensemus microscopiorum beneficio facilime cuiilibet demonstranda ; quæ quidem celeberrimus per orbem litterarum R. Hookius , Micrographiæ sua observ: 39. p. m. 175. sqq. cum aliis , singula fere enumerat , nitidoque schematismo illustrat , ita tamen ut nec laudatus modo Vir , nec alias quisquam , quod quidem nos hac vice inde colligi posse remur , deduxerit . Tantum enim abest ut Dn. Hookius discrepantiam quandam admittere velit , ut potius afferat , omnimodam se augurari congruentiam , cum & corneam , & uream , & retinam , & humorem quandam seu liquorem potius limpidissimum adesse credit ; in quo ipso tamen negotio hallucinari virum alioquin oculatissimum ex sequentibus patebit .

§. V.

Observamus itaque vel nudis etiam oculis ante omnia in contemplando visus organo in insectis , oculos ipsorum in recessibus excavatis

cavatis non latere abditos , ut in homine brutisque juxta §. mem-
bri prioris 7. Sed magnitudine sua , quanta quanta illa est , pro-
minere integros. Deprehendimus enim in ipsorum capitibus tu-
berculos ex utroque capitis parte liberrime protuberantes , & in fa-
stigium hemisphaericum exsurgentes tanta nonnunquam molis , ut
in aliquibus insectis majorem imo maximam totius capitis partem
absolvant , ut imperitæ plebi rei novæ atque insolitæ ignaræ adhuc,
vix persuadere queas , visus hæc esse organa , oculorumque vice
fungi.

§. VI.

Nullæ hic quæ oculis sive muniendis , sive purgandis & abs-
tergendis inserviant palpebræ , per ea quæ §. 7. super : membra di-
cta sunt , nulla supercilia. Quamvis & hac in parte non habeamus
quod de natura quodam defectu queramur. Siquidem & pilis in-
struxit sapientissimus opifex quorundam insectorum oculos , omni-
bus vero volatilibus pedes dedit hirsutos , scoparumque aut carmi-
num in modum formatos , quibus levissimum quemque pulviscu-
lum , aut quicquid adhædere oculis , & obstaculo esse poterat visui,
abstergere , & more carminatoribus usitato horsum versum frican-
do removere poterunt.

§. VII.

Nulli porro hic musculi , quos priori membro §. 2. recensui-
mus , nullus ex quo oculus pendeat nervus opticus de quo eadem
§. diximus. Musculis quippe , ad versandos quaqua versum ocu-
los opus plane non est ; dicti namque tuberculi , oculorum vice
functi , reliquæ capitis parti firmissime adfixi hærent , ut , nisi moto
capite integro , nusquam moveri queant aut contorqueri ; licet ad
obtinendum hunc finem aliâ , ut paulo post dicetur , ratione pro-
vida natura sedulitas aut sapientissima potius conditoris O. M. pro-
videntia prospexerit.

§. VIII.

Quemadmodum vero , quod ex dictis patet , in extra essentiali-
bus partibus insectorum oculi longe a reliquis reliquorum animan-
tium oculis sunt diversi : ita & in ipsis quoque essentialibus ab iis-
dem æque longe recedunt. Frustra enim hic desideraveris tuni-
cas supra §. 10. & 11. memoratas , dicto sese ordine excipientes.
Frustra hic quæsiveris humores §. 12. enumeratos , frusta hic in-

vesti-

C

(o)

vestigaveris oculi pupillam. Quarum quidem partium licet alia sint necessariae magis , alia minus , omnium tamen simul ita necessarius est usus , ut ubi omnes abs fuerint , ipsam quoque visionis rationem cessare debere sit necesse , per hypothesin supra deductam . Verum deficientibus licet hisce partibus ; tantum tamen abest , ut illum sentiant insecta oculorum defectum , ut affirmare sustineamus , & que bene , & que commode , & que feliciter hic omnia peragi .

§. IX.

Unica est , quam hic deprehendimus , tunica , non multum fateor abhorrens a cornea nostra , non tamen per omnia illi similis , quanta quanta est , pellucida (per se & spectata) in figuram hemisphaericam , aut huic analogam , expansa , & in cancellos quasi ita concinne , ita scite & apte divisa , ut artificiosissimi hominis superrare videatur industria . Harum superficiecularum , quas cancelli efficiunt , ut numerus est ferè absque numero , quem conjectando duntaxat assuequi licet ; ita figura in alia insectorum specie est circularis , in alia pentagona , hexagona aut polygona in alia quadrata (quam ultimam figuram in cancris potissimum , & quæ iis accedunt , deprehendimus) per omnia tamen sibi similis & quam maxime regularis ; & quod admirationem augere poterat , concavo-quidem convexa , ut singula harum superficiecularum singulis objectis recipiendis sint adaptata , quod non uno demonstrari poterit experimento . O inestimabilem potentissimi Creatoris sapientiam , & sapientissimi potentiam , qui unicum unus animalculi oculum innumeris instruxit ocellis , ut aciem ipsius ne minimum objectulum , ubicunque demum locatum , queat effugere . Argos crederes te videre non cent-oculares sed mill-oculares , imo innumeris oculis totos , si capita respicias , scatentes .

§. X.

Visus ergo organa in insectis dicti sunt tuberculi ex utraque capitis parte prominentes , & innumerabilibus hedris superficieculis aut hemisphaeriolis (liceat hac voce generaliori hoc loco uti) eum quidem in finem distincti , ut quicquid sine antrorum sine retrorum , sine sursum sine deorsum se moverit , recipient , & intueri

tueri queant ; & si quid forte elapsurum videretur , totum caput volatilium insectorum ex tenuissimo quasi filo suspendit creatoris providentia, ut hoc illuc caput facili negotio contorquere, infinitamque oculorum seriem huic obvertere possent animalcula isthac ; quare totum caput scatere oculis recte dixeris, ut insidiatorum manus, undecunque demum accesserint, facilius feliciusve effugiant.

§. XI.

Ceterum, refescando hos, de quibus loquimur, tuberculos, comprehendimus interiorem & concavam hujus tunicae in hemisphaerio ordinatum distributam, & in se pellucidam alioquin, superficiem substantiam quadam mucosam esse superinductam quae omnem excludit transparentiam, firmissime eidem inhærens, & velut glutine quodam affixa, ut non nisi ægerrime & adspersis liquorum guttulis possit removeri. Quæ quidem substantia mucosa diversi in diversis insectis coloris (modo enim subnigricans, modo purpurascens, modo viridis, modo cœrulea, modo variegata) non ipsam tantum concavam tuberculi superficiem, sed & reliquam totius concamerationis cavitatem explet, nervulis fibrillisque suis undique instruita, ut impressa tunica extima imagines ad commune sensuum receptaculum deferat.

§. XII.

Reperimus quoque integrum istam tuberculorum concamerationem a reliquo capite tunica lavigatissima, neutiquam tamen pellucida neque in cancellos, ut anterior, distributa, sed per omnia sibi simili & in tympani modum expansa, esse separatam, quæ tamen retinæ vices obire nulla prorsus ratione poterit, quod ex remota ejus distantia facile colligit unusquisque, neque etiam objectorum species, in ipsa anterioris tunicae cornea convexa superficie pictas, mucosamque substantiam neutiquam penetraturas, recipiet.

§. XIII.

Ex quibus enumeratis modo observationibus satis constare arbitror, longe aliam oculorum esse structuram & constitutionem, tam extrinsecam quam intrinsecam, tam essentialiem quam extra essentialiem in insectis, quam in homine cæterisque animantibus brutis, quæ longe quoque aliam arguit in his ipsis animalculis vi-

(०)

§. XIV.

sionis œconomiam ; quod quidem ita ducimus verum firmum atque certum , ut contradictionem h̄ic nullam veritati consentaneam metuamus.

Quantum enim Hookium supra nominatum concernit loco citato de oculis muscæ cujusdam differentem , facile cuivis , verba ejus aqua judicii lance ponderanti , patebit , Virum præstantissimum ubivis fere hæsitare , ambigere , & non una vice sibi contradicere . Qui enim modo dixerat : *oculos esse præditos tunicae cornea , uvea & retina , humoribusque aquo vitreo & crystallino , paulo post , de tunica cornea scribit , eam perfectissime esse integrum & nullatenus perforam sive trajectam* (not at all perforated or drill'd trough) *cujus rei se fatis esse certum* ; quid ergo fiet de uvea sive pupilla ? si cornea undiquaque tecta nullam admittit transparentiam , nullum foraminulum . Et paulo post de humore crystallino scribit , si tamen ille adfuerit (if such there be) qvaræ vero illum adesse alibi asseverat . Et iterum retinam tunicam non procul distare a cornea tunica probabile omnino esse (in all probability) itane probabilitatem pro veritate venditat ? & tandem addit : *arbitrari se nos dubitare non debere , eandem struaturam esse posse in quolibet hemisphériolo* (tunica cornea infectiorum) *qua est in balena aut elephanto , cum omnipotens DEI & FLAT eadem facilitate & hoc & illud præstare posse . Sicut enim unicus dies & mille anni unum sunt ipsi idemque , ita & unum oculum & mille oculos . Fidem hic lectoris obtulstamur , sitne illud a posse ad esse concludere ; cum tamen demonstrandum ipsi foret , non quæ possint esse in oculis infectiorum , sed quæ sint ; ut reliqua taceamus .*

§. XV.

Quibus sic præmissis , duo sece offerunt momenta , qua fieri potest brevitate expedita , alterum quidem , ut demonstremus : vulgarem illam circa visionem hypothesin , membro priori expositam , locum hic plane nullum reperiire ; alterum vero , ut novam subjiciamus hypothesin , solidiori doctiorum dijudicatione excutiemus .

§. XVI.

Prius equidem in expedito fore crediderim : Quandoquidem enim visionis modus dioptricus tunicam præsupponit pellucidam , quæ

quæ liberum radiis solaribus transitum concedat; præterea vero *papillam* quæ radios ad pingendam objecti speciem necessarios admittat, reliquos vero arceat, receptosque ad crystallinum humorem penetrare patiatur; tandem (ut de ipso humore crystallino, radios infringente & decenter uniente non dicam; siquidem nonnunquam ille loco movetur, visu tamen non penitus sublato) & retinam, quæ pingendis & excipiendis objectorum speciebus sit adaptata: Qui quæso isthac ad insectorum oculos modo descriptos ulla ratione applicari poterunt? in quibus ne unicum est punctulum tunicae sic dicta cornea pellucidum, quod radios transmittat; nulla penitus pupilla quæ vel cum, vel fine crystallino humore uniat; nulla tandem retina, quæ effigiem recipiat.

§. XVII.

Evidem diximus supra: tunicam istam tuberculorum anteriorem & unicam (quam corneam appellare licet) totam, quanta quanta est, pellucidam esse: at enim vero monuimus quoque, eandem per se quidem pellucidam, substantia tamen mucosa, penitus opaca, undiqueque esse obductam, quæ omnem intercipit tollitque transparentiam. Cum itaque omnia ad peragendam hoc modo visionem requisita essentialia frustra desiderentur in oculis insectorum, ecquis affirmare sustinebit, visus rationem eandem fore, quæ in cœteris animantibus, oculis dioptricis præditis,

§. XIX.

Quod si vero alia visionis œconomia admittenda fuerit, ut admitti omnino debet, nescio sane utrum supra dictæ oculorum fabricæ & structuræ applicari alia facilius & felicius possit, quam quæ speculorum convexorum imitatur rationem, ut sic insectorum oculos recte quidem *catoptricos* dicere non tam queamus, quam debeamus. Denn es sind ganz gewiss undurchsichtige Augen. Tunica quippe tuberculorum sèpius memoratorum, sua quidem natura pellucida, intus tamen muco tenaciter munita, vitrum speculare ex altera parte bracteola obductum per omnia emulatur; cumque in hemisphæriola sive cancellos sit distincta, speculum quasi polyhedricum refert.

C 3

§. XIX.

(o)

S. XIX.

Neque vero est, quod quisquam miretur, nos in explicando
hoc visionis modo ad vitra specularia prolabi; Firmissimis quippe
moti rationibus, omnino verum esse credimus, quod acutissimus
J. C. Scaliger Exercit. 298. de subtil: affirmat, & plurimi alii cum eō
dudum agnoverunt: *Si esset in speculo vis anima, speculum videret;*
speculum enim hoc modo fore oculum, & objecta pari, si non
majori probitate intueri & cognoscere posse, quis dubitaret? *Quod*
si vero speculo non nisi vis deest anima; sequitur, quod infecta,
animabus suis prædicta, oculis suis specularibus polyhedricis objecta
seitè admodum intueantur.

S. XX.

Ad quem itaque modum speculum quodlibet à parte antica
convexum, a parte postica concavum, & bræteola sive stanno
obductum, objectorum species erectas, & pro majore minoreve
sphæracitate proportionatè pusillas admittit, format, pingit, & ad
spectatorum oculos retroflebit: ad eundem etiam modum minutissima illa tuberculorum hemisphæriola, rerum visibilium imaginunculas
admittere, formare, pingere, tam est certum, quam quod certissimum, ut quoque citatus supra Hookius fateri cogatur, *quodlibet hemisphæriolum cuiuslibet obiecti imaginem exactè referre* (reflecting
as exact, regular, and perfect an image of any object from the
surface of them, as a small ball of quicksylver) so wie ein Kugel-
chen vom Quecksilber ein Bildnis der objectorum etwa vorstellen mag/
& paucis interjectis, in each of these hemisphæres i have been able
to discover a landscape of those things which lay before my window.
Ich bin capable gewesen / in einem jeglichen dieser hemisphæ-
riolorum eine Gegend / oder Landschaft / zu entdecken solcher Dinge / die
vor meinem Fenster lagen.

S. XXI.

Hæ vero imagunculae per leges catoptricas in superficie hemi-
sphæriolorum convexa & speculiformi, pictæ formatæque, dictam
sæpius substantiam mucosam & medullarem, interius subtensam,
immediate quasi feriunt, motumque imprimunt fibrillis nervulo-
rum intra eandem latitantibus & quaquaversum diffusis, quibus
medianibus, motus ille ad commune sensorium delatus, animam
ad perceptionem disponit eodem planè modo, quō objectorum effi-
gies

gies in dioptrici oculi tunica retinâ delineata mediante nervo optico animas reliquorum animantium ad perceptionem disponunt, quem quidem perceptionis modum hâc vice non examinabimus.

§. XXII.

Et hâc sunt B. L. quæ pro instituti nostri ratione de duplicitate visionis & organo & modô delibare generatim hâc vice voluimus; non alium in finem, nisi, ut si quid indè veritatis philosophia naturali accedere possit, DEO nostro totius Universi Creatori pariter & Moderatori potentissimo, sapientissimo atque benignissimo

SOLI SIT GLORIA.



In pagellarum supplementum Problemata duo mathematica subjiciemus curioso lectori non ingrata futura.

Probl. I.

Numerum invenire , cuius quadratum , addito alio numero dato, sit numeri inveniendi determinatum multiplum, id est, datum habeat ad inveniendum rationem, e. c. sit inveniendus x . addendus a ratio data . e ut æquatio algebraica isthac sit

$$xx. + a = ex.$$

Sol. Problema hoc ex eorum est numero , quæ duplarem admittunt radicem. Ut itaque geminum \sqrt{x} valorem habeas numerice ita procedas. Divide rationis datae numerum bifariam , & hujus quoti five dimidii quadrato subtrahe datum addendum , ex residuo vero extrahe radicem quadratam ; huic demum radici & adde dimidiatum rationis numerum , & (minorem scilicet ex majori) subtrahe, tum aggregatum dabit numeri quæsiti alterum, alterum v. dabit residuum.

fit

(०)

$\text{sit } a = 12, e = 8.$ Divide 8. per 2. quotus erit 4. cuius quadratum 16. huic subtractis 12. remanent 4. cuius radix quad. 2. Huic adde 4. (dimid: rationis numerum) & habebis 6. & ex 4. subtrahe 2. & habebis 2.
Erunt ergo valores $\sqrt{2}x, 2,$ & $6.$

$$\text{Si } x, \text{ erit } 2, \text{ erunt } 4 + 12 = 16.$$

$$\text{Si } x, \text{ erit } 6, \text{ erit } 36 + 12 = 48. \text{ Q.E.F.}$$

Sic & in omnibus aliis si a fuerit $\begin{cases} 48 \\ 75 \\ 12, \end{cases}$ & $e \begin{cases} 16 \\ 20 \\ 7, \end{cases}$ erunt valores $\sqrt{2}x, \begin{cases} 4. & 12. \\ 5. & 15. \\ 3. & 4. \end{cases}$

Probl. II.

Ex datis tribus trianguli plani lateribus aream ipsam indagare trianguli.

Sol. Problema hoc ita solvunt plerique: addunt (1.) tria data latera in unam summam, ex hujus summa dimidio (2.) subtrahunt latera singula ad obtinendas tres differentias, quas (3.) continuo in se ducunt, & in se ductas quoque cum priori dimidio multiplicant; ex hoc demum facto (4.) radicem extrahunt quadratam, quæ dabit aream quæsิตam

e, e. sint data tria trianguli latera $\begin{cases} a = 3 \\ b = 4 \\ c = 5 \end{cases}$ summa trium erit 12, cuius di-

midium 6, ex quo dimidio subtractis 3. & 4. & 5. erunt tres differen-
tiae 3. 2. 1. quæ in se ductæ faciunt 6. & cum dimidio priori 6. multi-
plicata faciunt 36, cuius radix quadrata 6. erit area quæsita.

Huic solutioni satis prolixæ alias substituit non nemo perquam ingenio-
sam & memoria felicissime consulentem. Datis enim a. b. c trianguli
dati lateribus erit area radix quadrata ex

$$\frac{1}{2}abb + \frac{1}{2}bbc + \frac{1}{2}acc - \frac{1}{16}a^4 - \frac{1}{16}b^4 - \frac{1}{16}c^4$$

(०)

94 A 7342

ULB Halle
004 145 933

3





Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

B.I.G.

NOVAM HYPOTHESEN,
 De
 DUPLICI VISIONIS ET ORGA
 ET MODO
DIOPTRIC
 ALTERO; ALTERO
CATOPTRIC
 HOC insectis; ILLUD vero anima
QUORUM
reliquis concessisse natura videtur
 D. 12. SEPT: ANNO MDCCX
 PLACIDÆ AMICORUM VENTILAT
 ET
 ULTERIORI PARITER CURIOSORUM NATU
 SCRUTATORUM DISQUISITIONI
 SUBMITTUNT
 PRÆSES
M. PETRUS BEG
 MATH. PROF. PUBL. ET AD D. JACOBI ÆDE
 ECCLESIASTES.
 &
 RESPONDENS
JOHANNES HERMANNUS BEG
 Phil. & SS. Theol. Stud.
 PRÆSIDIS EX FRATRE FILIUS.
 ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliss. SEN